DE
REMEDIORUM QUORUNDAM DIAETETICORUM
IN MEDICINA USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA

QUAM

PROPTER SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

DIE XXVIII. M. JULII RITE ACCEPTOS

SCRIPSIT

ARMINIUS MARTINI

SILESIUS.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

MDCCCLXVI.

MATRI OPTIMAE

SACRUM.

Non solo cultro chirurgi neque magis solis illis remediis, quae in libro materiae medicae sensu strictiori sic dictae collecta sunt et secundum experientiam certam quandam vim in organa corporis humani exserunt, artem medicam niti oportet, sed potius ars medica semper atque in unaquaque aegrotatione singulari diaetae et victus recti rationem habere debet. Quin adeo inter omnes constat, plurimas aegrotationes occurrere, in quibus omnis medicatio et remediorum ceterorum usus irrita sint et quorum sanatio nonnisi vel a diaeta recta vel a loci, consuetudinis, operis et victus mutatione petenda sit. Itaque mihi propositum est, in hocce opusculo de vi singulari disserere, quam diaeta, coeli temperies et corporis animique occupatio in valetudinem recuperandam exserunt.

Diaeta sensu latiori ita dicta certas quasdam nutrimentorum species comprehendit, e quibus organismus humanus partes variis agitationibus consumtas et confectas haurit eoque sese ipse quasi regenerat et reficit. Unde patet, quaecunque substantiae eam vim habent, ut vices organorum singulorum vel debilitent vel omnino tollant, eas a diaeta sejungendas et secernendas esse. Doctrina diaetetices physiologiae originem debet, quae

docet, quae sint vices organorum singulorum nec non substantiae corporis totius earumque mutationes chemicae; itemque substantiis nutrimentorum et mutationibus, quas nutrimenta in corpore subeunt, inquisitis accuratius describit, quae nutrimenta corpori conservando et sustentando sint aptissima. In quo apparet, secundum physiologiae praecepta diaetam aegroto praescribendam a diaeta hominis sani et validi multum differre. Quippe diaeta aegroto praescribenda neque quoad quantitatem neque quoad qualitatem sibi constat, sed ex organorum activitate et summo sanationis fine pendet, nimia vel abundantia vel inopia corpori aegro periculum affert atque etiam interdum quidem nutritioni inservit, plerumque tamen sanationi subordinata vel coordinata est. Quam contra diaeta hominis sani et validi ex eadem mixtione certorum quorundam nutrimentorum tum quoad quantitatem, tum quoad qualitatem constat vel constare potest, fere semper sine ullo detrimento etiam abundanter, corpore recipitur atque soli nutritioni inservit. Unde simul patet, diaetam aptam et idoneam in morbis sanandis maximi momenti esse. Jam singulae diaetae species, quae in morbis sanandis medico adhibendae sunt, omnino hae sunt: diaeta vegetabilis, diaeta lactea, cibus animalis, abstinentia.

Ac diaeta quidem vegetabilis omnes fructus plantarum sive dulces sive acidos complectitur, quo plures fruges nostrae vulgares pertinent, quarum substantiae chemicae hae sunt: aqua, conjunctiones organicae, quae Kohlenhydrate vocantur, pectinum, acida vegetabilia vel eorum salia et parvae quantitates conjunctionum nitrogenium continentium. Quae diaeta semper cum potio-

nibus indifferentibus conjungenda est. Omnino istae substantiae faciles sunt concoctu et penes medicum est, e numero earum illas substantias excernere, quae assimilationis ergo majori quantitate tubi intestinali secretorum opus habent ideoque concoctu difficiliores sunt, quo fruges pertinent, quae valde cellulosae sunt et magnam albuminis coagulati copiam continent, quae, quum diutius in tractu digestionis remaneant, effervescendo flatulentiam, colicam, diarrhoeam vel obstipationem efficiunt et multas faeces excernunt. Cibo vegetabili utpote facili concoctu tractus digestionis quam minimum irritatur, sanguis illis, quae Kohlenhydrate vocantur, conjunctionibus et salibus ditatur, corpus autem, quia ei parum nitrogenii suggeritur, macescit. Respiratio, permutatio interna, oxydatio nec non calor corporis diminuitur, propterea quod quaedam harum substantiarum, quia oxygenio abundant, oxygenio minus opus habent, quibus rebus efficitur, ut etiam secretio ureae in urina diminuatur. Oxydatione autem, e qua vis organorum pendet, diminuta circulatio sanguinis ideoque substantiae permutatio et universus effectus mechanicus nec non animi functiones in organismo nostro retardantur. Quocirca diaeta vegetabilis imprimis tum eligenda et adhibenda est, quum pro singuli cujusque morbi natura nutritio corporis exilis esse et organa corporis paulum tantum irritare debet, velut in omnibus morbis febrilibus acutis, in inflammationibus organorum internorum et externorum, porro tum, quum sanguis tenuior et magis alcalicus reddendus est, veluti in lithiasi, vel in aegrotis opimis et bene nutritis, qui emacescere debent. Contra diaeta vegetabilis repro-

banda et rejicienda est in aegrotis debilibus, in aegrotis convalescentibus, in hominibus grandaevis nec non in infantibus lactentibus, in pauperibus et egenis, quorum vires laboribus admodum consumtae sunt, quare iis diaeta valida praescribenda est.

Diaeta lactea, quae jam sequitur, quoad ejus effectus medium inter nutritionem vegetabilem et nutritionem validam animalem locum tenet atque vel sola tanquam curatio lactea vel cum aliis nutrimentis conjuncta adhibetur, quorum effectus physiologicus vel effectui lactis similis est vel eum tantummodo adjuvat. Inter quae nutrimenta substantiae amylaceae, cibi e farina parati, omnino nutrimenta mucilaginosa habenda sunt. In tractum intestinalem illa diaeta hanc vim exserit, ut irritationem ejus leniat et mitiget. Propter resorptionem autem paene totalem parum faecium excernitur, quae ob irritationem deficientem vel ob motum intestini diminutum tarde tantummodo ejiciuntur. Inter totam digestionem et subsequentem assimilationem aut non aut paulum tantum calor corporis crescit: circulatio sanguinis, frequentia respirationis eaedem manent; excretorum sola urina augetur; contra adipis formatio adjuvatur. Attamen ad vitam conservandam lac purum tantummodo infantibus lactentibus sufficit: postmodo, ubi magis adoleverint, nutrimenta eorum plus massae solidae continere debent. Unde patet, diaetam lacteam puram in aegrotationibus chronicis vel tractus intestinalis, cujusmodi sunt indigestio, gastritis chronica, catarrhus chronicus, ulcus ventriculi, enteritis chronica, dysenteria, vel organorum respiratoriorum, cujusmodi catarrhus chronicus, phthisis sunt, porro in erethismo

cum virium debilitate conjuncto nec non in multis nervorum aegrotationibus recte adhiberi. Minime autem diaeta lactea pura in talibus aegrotationibus idonea est, in quibus corpus aegroti exhaustum et debilitatum cibis validis celeriter reficiendum et corroborandum est. Lac equorum et lac asinorum, quae lactis species paulum butyri continent, curae lacteae praecipue apta sunt. Pingue vaccarum lac in multis aegrotationibus tunc demum adhibendum est, ubi vel flos lactis sive adeps detractus vel lac ipsum aquis mineralibus aliisque rebus attenuatum est. Contra in cura lactea omnes cibi acidi vel aromatici, cujuscunque generis sunt, itemque poma et plurima legumina aegrotis a medico deneganda sunt. Saepe natura aegrotorum lac purum haud perfert, vel quia eorum tractus digestionis antea irritationibus assuetus erat, vel quia quaedam affectiones morbosae, ut peccata diaetetica, indigestio libero acido in ventriculo effecta, diarrhoeae aliaque, ansam ei rei praebent. Quodsi ejusmodi affectiones abnormales in aegroto adsunt, vel eae medicamentis idoneis antea removendae sunt vel cura lactea per hoc tempus omittenda est.

Diaeta nutribilis, quam substantiae animales praebent, universas organicas conjunctiones nitrogenium continentes, velut albumen, caseinum aliaque ejus generis, complectitur. Quae quidem conjunctiones quamquam in universum concoctu et digestu faciles sunt, tamen ad eas solvendas et in sanguinem traducendas majore succi digestivi copia opus est. Namque eas, priusquam partes eorum nutribiles solvuntur et assimilantur, diutius in ventriculo et intestino tenui remanent, minorem faecium quantitatem excernunt et sedes tardiores efficiunt. Quanto

autem plus adipis nutrimenta animalia continent, eo magis digestionem turbant et interrumpunt. Qua in diaeta frequentia pulsus et respirationis nec non calor corporis augentur, propterea quod major oxygenii quantitas consumitur et acidum carbonicum auctum argumento est, etiam oxydationem in corpore auctam esse. In excretis et secretis corporis jam mutationes varii generis exsistunt. Secretio bilis augetur, dum quantitas urinae diminuitur, quaedam autem ejus substantiae imprimisque urea crescunt. Sanguis conjunctionibus, quae nitrogenium continent, ditior ideoque corpusculis rubris gignendis nec non omnibus organis et partibus corporis reficiendis aptior evenit. Neque minus apparatu musculorum et nervorum corroborato etiam vires corporis et animi crescunt. Ubi vero medico id agendum est, ut vires aegroti in affectionibus cachecticis et dyscrasicis, cujusmodi sunt anaemia, inanitio, virium exhaustio, corporis consumtio substantiis amissis, ulcerationibus, haemorrhagiis, exsudationibus profusis, diarrhoeis, morbis gravibus diutinis et cum virium consumtione conjunctis exorta, citius ocius reficiantur, diaeta, de qua hic agimus, prae ceteris adhibenda est. Gradus autem, ambitus et tempus ejus semper singulae cuique aegrotationi accommodanda sunt, in quo simul videndum est, quanta sit aegroti digestio, propterea quod organis majorem in modum debilitatis etiam secreta tractus intestinalis ad cibos digerendos necessaria ratione abnormi excernuntur. Neque minus integer pulmonum status requiritur, propterea quod iis tanta oxygenii quantitas recipienda est, quanta ad cibum nutribilem oxydandum sufficit. Quodsi ejusmodi affectiones et

aegrotationes adsunt, medici est, aliis remediis digestionem et intensitatem respirationis adjuvare. Praeterquam cachecticis etiam diabeticis diaeta animalis tanquam unica nutritio commendanda et praescribenda est: quippe experientia docet, cibo vegetabili in corpus ingesto saccharum et quantitatem urinae augeri, quo simul egestio salium adjuvatur, quae Frerichsio nostro auctore aegrotis plus nocet, quam ipsa sacchari formatio. Neque minus certo constat, si cibus nitrogenio abundans corpore recipitur, tum quantitatem urinae, egestionem salium nec non celerem corporis et virium consumtionem diminui. Haud sane illa diaeta apta et idonea est in aegrotis plethoricis, qui capitis et pectoris congestionibus laborant et ad apoplexiam propensi sunt, itemque in omnibus aegrotationibus febrilibus, quae acute proveniunt eodemque modo decurrunt.

In abstinentiae cura aegroto minor cibi quantitas praebetur, quam ipse desiderat et appetit. Etenim ei vel nutritio nitrogenii minus continens vel solus victus vegetabilis, legumina concoctu facilia, poma, cibi farinarii, eaque ipsa minore quantitate, quam ad satietatem opus est, porriguntur. Omnia legumina, quae ventrem inflant, ab aegroto vitantur, aquae tantum parva quantitas combibitur atque huic diaetae saepe purgantia, emetica adeoque sanguinis detractiones praemittuntur. Quali ratione 2 vel 8 et plures etiam hebdomades pergitur, in quo semper respiciendum est, quomodo vires aegroti se habeant, quae mutationes in ipso morbo eveniant, quantum pondus corporis diminuatur, denique qualis sit corporis temperatura. In quo corpori sumtu et impenso suae propriae substantiae ex parte viven-

dum est, quia jactura major est, quam compensatio. Secreta quidem et excreta corporis, ut urina, faeces, acidum carbonicum, aqua, saliva, secreta tractus digestivi, lac, liquor seminis aliaque, decrescunt, attamen non adeo, ut corporis pondus eo diminuatur. In urina quantitas ureae, si eam cum quantitate urinae comparaveris, augetur, ureae autem quantitas quotidiana diminuitur. Reactio urinae tum admodum acida est. Frequentia respirationis simulque cum ea suggestio oxygenii, oxydatio ipsa, ideoque etiam materia organorum secretoriorum in corpore decrescunt. Similiter frequentia pulsus decrescit, propterea quod suggestione cibi diminuta minor vis elastica (Spannkraft) in corpus ingeritur, quae, in vim liberam solutionibus et oxygenio in corpore immutata, actionem totius corporis ideoque singulorum ejus organorum systemate nervorum dirigente efficit. Deficiente vi elastica porro diminutio temperaturae subsequitur, e qua sensibilitas frigoris, qua aegroti in abstinentiae curatione afficiuntur, explicanda est. Sanguis solidas ejus substantias magis magisque perditum it pondusque ejus specificum diminuitur. Ponderis jacturam non omnes corporis partes eodem modo et tempore faciunt: primum et plurimum adeps consumitur, deinde sanguis, organa albuminosa, ut hepar, lien, tum musculi, qui simul pallescunt, volumine eorum diminuto, item cor, cujus parietes tenuiores fiunt: minimam jacturam ponderis sui ossa, tendines, ligamenta et cerebrum faciunt. Qua abstinentiae curatione ita continuata omnes actiones corporis ad vitam servandam et sustentandam pertinentes diminuuntur. Ac primum quidem siccitas oris, irritatio organorum digestioni in-

servientium nec non conjunctivae bulbi, dolor ventriculi et alvi, defaecatio tarda, valetudo mala, deturbatio, depressio, irritatio immodica, hyperaesthesia, imprimis organorum sensibus inservientium, eveniunt. Vulnera, ulcera non amplius sanescunt, formatio puris, obductio cicatricum desinere incipiunt, spiritus, urina, cutis exhalatio odorem acidum pessimum praebent. Paulatim indigestio totalis, anaemia, inanitio, consumtio corporis, saepe cum diarrhoea, vomitu, torpore, insequuntur: interdum hypostases, exsudata hydropica et infiltrationes exsistunt ac postremum mors supervenit. Quae affectiones omnes ne in aegroto eveniant eumque opprimant, medicus prudens sane cavebit et abstinentiae curationem semper tantummodo intra certos fines adhibebit. Tanquam autem praecipuum antiphlogisticum illa curatio in morbis febrilibus acutis adhibetur, in quibus ceterum natura ipsa ducti aegroti jam propter deficientem appetitum cibum capere nolunt. Contra curatio abstinentiae post observationes, quae a schola medicorum Vindobonensi factae sunt, in syphilide magis magisque derelinquitur. Ipse aegrotos syphilide secundaria affectos vidi, qui omnes, unguento hydrargyri illito curati, brevi tempore omnino sanati sunt, quamquam loco abstinentiae alioquin usitatae et cum unguento hydrargyri conjunctae praecipua nutritio in iis adhibebatur. Neque minus jam dudum methodus aneurysmata sanandi deserta est, quam primus Valsalva invenit, quae nutritione diminuta et venaesectionibus repetitis nec non flumine sanguinis retardato coagulationem sanguinis in aneurysmate efficere conabatur. Item methodus depascens vulgo ita dicta et in magna

pelvis angustia adhibita nunc quidem antiquata est, qua feminae gravidae a dimidio inde gravidatis tempore paulum tantummodo cibi capere, corpus multum movere et breve tempus dormire jubentur, ut incremento foetus impedito inconcinnitas inter spatium pelvis coarctatae et magnitudinem infantis perfecti compensetur. Denique illa quoque quorundam autorum doctrina nunc explosa est, secundum quam extravasata hydropica, exsudata pleuritica aliaque suggestione cibi diminuta celerius resorbentur. Etenim si extravasata hydropica nimia seri in sanguine quantitate efficiuntur, e contrario multum cibi aegroto praebendum est, propterea quod sanguis, quo magis concentratur et in unum contrahitur, eo plus resorbere valet: sin illa extravasata affectionem hepatis vel renum sive vitium cordis vel pulmonum arguunt, curatio abstinentiae minime omnium apta et idonea est. Levior autem abstinentia in multis morbis ventriculi, canalis intestini, hepatis, in plethora, in inclinatione adiposa, in omnibus aegrotationibus vitae umbratilis et luxuriosae, velut in arthritide, inclinatione apoplexiae cerebralis, sane laudanda et commendanda est.

Praeter curationem abstinentiae adhuc curatio panis similaginei (Semmelkur) a Schrothio inventa et curatio sitis commemorandae sunt, quae praeterquam bibere etiam cibis multum aquae continentibus aegrotos vesci vetant. Quas methodos diutius adhibitas etiam celerius corpori exitium afferre per se liquet, quum secundum experimenta a Choccatio facta sitis multo minus, quam fames perferri possit. In Francogallia meridionali medici syphilidem secundariam secundum illas methodos curabant, sed cum iis hydrargyri praeparata, kalium

jodatum et decoctum Zittmanni conjungebant. Alibi illae methodi ad sudores phthisicorum tollendos nec non in diabeticis adhibitae sunt. Quamvis autem in diabete tali modo quantitas urinae ideoque secretio sacchari et salium diminuitur, tamen methodi istae semper successu destituuntur, nulla alia de causa, quam quod sitis longius per tempus ab aegroto perferri nequit.

Praeterquam remediis diaeteticis allatis medicus etiam remediis climaticis multos morbos vel sanare vel lenire potest. Voce sive vocabulo climatis omnes illae qualitates et affectiones aëris, temperiei, soli et humi significantur, quae universae propriam latioris cujusdam plagae naturam efficiunt. Maximi momenti sunt quaedam qualitates aëris sive atmosphaerae ipsius, varia ejus temperies, varius ejus humor, numerus dierum pluvialium et quantitas pluviae quotannis coelo demissa, pressio aëris, motus et puritas aëris, quae omnes qualitates plus minusve a situ geographico et elatione super aequor maris dependent. Quod ad temperiem sive temperaturam attinet, in aegrotis varius mensium singulorum calor atque imprimis subita ejus vicissitudo, quae mane, meridie et vespere ejusdem diei evenit, respicienda et observanda sunt. Clima continale aestatibus calidis, hiemibus frigidioribus, sicut jam in Italia superiore, insigne est: contra clima maritimum sive insularum aestatibus subfrigidis, hiemibus mitioribus ideoque majore aequabilitate temperaturae, quae totum per annum obtinet, veluti in Italia inferiore, differt. Quoad humorem aëris magnum discrimen inter clima acidum et humidum statuendum est. Clima humidocalidum aegrotis, quorum pectus affectum est, plurimum

prodest, clima acidum contra iis maxime nocet. Calor humidus, qualis in insula Madeira, Romae, Panormi in Sicilia insula invenitur, vim remittentem, sedantem, solventem in pectus illorum aegrotorum exserit, qui multum pituitae expectorant: calor aridus contra, qualis in insula Malta, in Aegypto et fere Nizzae habetur, excitat atque corpori aquam, qua sola pituita talium aegrotorum solvi potest, subducit.

Praeter temperaturam et humorem in climate loci cujusdam dijudicando adhuc considerandum restat, quale solum ejus sit, quantum ejus spatium aqua tegatur, quam longe locus ille a mari, lacubus, paludibus et fluminibus distet, denique quae sit externa ejus configuratio. Non omnis formatio geologica ejusdem est pretii ideoque multum interest, utrum solum argillaceum an arenosum, mons primitivus an formatio temporis recentis, diluvium an alluvium sit. Porro multum differt, quomodo formationes singulae inde ab imo solo sese invicem sequantur ac quibus angulis concurrant et montes vallesque efficiant. Etenim ab omnibus his rebus calor et humor soli, multitudo et qualitas chemica fontium nec non fluminum et lacuum, qui ex iis proveniunt, denique qualitas universae vegetationis pendet. E quibus omnibus sequitur, medico summa prudentia et scientia opus esse, quando aegrotos in loca alia climate praestantiore praedita mittit. Quin adeo ei illud providendum est, ut aegroto cum loco mutato etiam curatio et nutritio morbo ejus necessaria praebeatur atque acclimatisationis processus sine detrimento ab eo superetur. In zona nostra temperata et in zona frigida mutatio climatis calidioris saepissime in pectoris affectio-

nibus et aegrotationibus adhibetur, veluti in tuberculosi pulmonum et ejus inclinatione, in inflammationibus chronicis tuborum respiratoriorum, emphysemate, hydrothorace, tussi convulsiva, in scrophulosi, vitiis cordis, rheumatismo chronico, in diversissimis nervorum morbis, cujus generis sunt hyperaesthesia, algia, hysteria, hypochondria, melancholia aliaque, imo in syphilide et in affectionibus chronicis catarrhalibus organorum uropoëticorum, quarum praecipua lithiasis est. In tuberculosibus, quae ad haemorrhagiam pulmonum inclinant, in erethismo, febri, sputo modico, in affectionibus cordis et hepatis, in bronchitide, pneumonia regiones humidocalidae eligendae sunt: sin tuberculosis sine febri cum torpore et multo sputo conjuncta est, loca arida, sicut in affectionibus blenorrhoicis, praeferenda sunt. Quodsi vires aegroti jamjam valde exhaustae sunt, medico perpendendum restat, mutationes victus, quo aegrotus adhuc usus est, vitae ejus summum periculum afferre posse. Iter longum in alias terras faciendum, consuetudines locorum alienorum, velut tutamen exiguum frigoris subiti in Italia atque omnino in terris calidioribus meridionalibus tantummodo finem aegroti debilitati accelerarent. Magni porro momenti est, ut tempus itineris in clima calidius faciendi et reditus recte eligatur. Nostris in regionibus auctumnus illud anni tempus est, quo in morbis huc pertinentibus regiones meridionales petuntur, quae aestate appropinquante rursus relinquendae sunt, propterea quod in zona nostra temperata calor non tantum, quantum in terris latitudinis meridionalis crescit. Contraria ratio in regionibus calidis ineunda foret. In zona nostra temperata et in zona fri-

gida tanquam regiones, in quibus aegroti hiemem degant, Italia, Francogallia meridionalis, peninsula pyrenaica, Germania meridionalis, Aegyptus et insulae oceani atlantici eligendae sunt. Atque in Italia quidem ab aegrotis, qui tuberculosi laborant, Pisa et Roma maxime frequentantur. Romae calor per hiemem major est, quam Pisae, sed propter ventos ab Apenninis flantes temperatura ibi magis variat nec tantum pluviae coelo decidit. Nizza aegrotis, qui phthisi, bronchitide aliisque ejus generis morbis laborant, minus commendanda est, magis in catarrho chronico, emphysemate pulmonum, bronchiectasi, asthmate, nervorum affectionibus, rheumatismo chronico probanda est. Quamquam enim triplici montium jugo versus regionem septentrionalem et aquilonarem defenditur ideoque climate satis miti, sed arido et excitante, ubi temperatura paulum variat, praedita est, tamen hieme et vere propter aquilones saepe ibi frigus immodicum est. Nizzae similes sunt Florentia et Genua, ubi temperatura etiam saepius propter aquilones gelidos cum euronotis calidis alternantes variat, similes etiam Venetiae, Mediolanum et regiones prope lacum Larium et lacum Benacum sitae. Neapolis calida quidem et modice humida, sed variae temperaturae et multorum ventorum est, quapropter ea aegrotis, qui tuberculosi laborant, minus commendari meretur, quam Sicilia et Panormus, quarum hiems mitior est. Romae, Nizzae, Florentiae, Pisae, Neapoli media anni temperatura circiter 15° C., media hiemis temperatura 6—9° C. efficit, Venetiis et Mediolani media anni temperatura tantummodo 12° C., media hiemis temperatura tantummodo 3—4° C. est, in Sicilia et Panormi media

anni temperatura 17° C., media hiemis temperatura 11° C. Dies pluviales Genuae 130, Pisae 122, Romae et Neapoli 114, Venetiis 80, Nizzae tantum 60 numerantur.

Francogalliae meridionalis clima calidum, sed aridum et excitans est, media anni temperatura ferme 14° C., media autem hiemis temperatura ibi saepe usque 0° diminuitur. Qua de causa, quum etiam temperatura propter ventos austeros crebro variet, regiones istae minus tuberculosi, magis autem catarrho, scrophulosi aliisque hujusmodi morbis sanandis idoneae sunt. Aptior ad tuberculosin sanandam in universum Francogallia occidentalis habenda est, propterea quod ibi clima non solum aeque mite, sed etiam humidius est et temperatura minus saepe variat.

Peninsula pyrenaica aegrotis regionum nostrarum tum propter majorem distantiam et iter molestius, tum propter commoditates deficientes minus, quam Italia idonea est. Ad sanandos aegrotos, qui pectoris affectionibus laborant, imprimis Malaga laudatur, quod an jure fiat, propter clima ejus satis aridum et hiemem hieme Italiae meridionalis austeriorem valde dubitandum est.

Germania meridionalis, Helvetia et Rhaetia ad hiemem ibi degendam quoad aegrotos generis diversissimi Italiae omnino postponendae sunt, contra hae terrae ad aestatem ibi agendam Italiae cum maxime praeferri merentur. In Italia calor aestatis tantus est, ut Helvetia, Rhaetia et Germaniae pars meridionalis, quarum natura pulchritudine haud minus magna praedita et temperatura aestiva modica est, locum aptiorem praebeant, ubi

aegroti pectore laborantes, morbis debilitati, nervis aegrotantes et convalescentes commorentur. Quibus rebus si insuper habitationes egregias, magnam rerum ad vitam commodam pertinentium curam addideris, si porro institutorum seri lactis et aquae frigidae nec non fontium mineralium, quae ibi reperiuntur, denique vallium multarum montibus continuis contra ventos austeros septarum memineris, terrae et regiones istae multis aegrotantibus locum praebent, ubi etiam per hiemem commorentur. Quo nomine Merania in Rhaetia, Montreux prope lacum Lemanum, Interlaken, Unterseen, Thun, in pagis Bernensi, Lucernensi et Tigurino sitae, omnium maxime laudantur.

Aegyptus, quae terra eo insignis est, quod omnes hiemes aeque calidae sunt, accedente media anni temperatura 22° C. et media hiemis temperatura 14° C., locus opportunissimus aegrotis pectore laborantibus et nominatim phthisicis foret, nisi inopia omnium rerum ad commoditatem aegrotorum necessariarum, iter longum et molestum et breve temporis spatium, quod aegroti ibi commorari possunt, commodis istis multum detraherent. A mense Martio inde calor et discrimen temperaturae diurnae et nocturnae in tantum crescit, ut aegrotis pectore affectis commoratio diuturnior noceat. Recentiore tempore Kairo et Algerium ea loca sunt, quae maxime nominatim ab Anglis valetudinis causa frequentantur. — Inter insulas oceani atlantici Madeira tum propter vitae commoditates, tum propter clima ejus famam loci aegrotis pectore laborantibus, imprimis phthisicis in primis morbi stadiis vel ejus inclinatione opportunissimi et praestantissimi summo jure meretur. Ma-

deirae temperatura mitis est, aequabiliter calida, aestate non nimium calida, haud supra + 22° C. adscendens, hieme haud infra + 8° C. descendens, simul humida, ita ut aër maximam partem anni aqua satiatus sit, quamquam dies pluviales numerum 80 haud transgrediuntur. In insulis Canaricis atque Azoribus clima fere idem est, sed aestas calidior et hiems frigidior, aër humidior est et temperatura magis variat, quo accedit, quod aegrotis ibi commorantibus minus rerum ad vitam commodam pertinentium praebent.

Jam in enumerandis remediis diaeteticis ars gymnastica sequitur, quae in universum motu corporis vel activo, si corpus propria musculorum contentione pro lubitu hinc illuc movetur, quod in eundo, currendo, saltando, nando et pugnando fieri solet, vel passivo constat, si vis aliena motum corporis efficit, in quo sane propria musculorum contentio haud plane excluditur, velut in vehendo, equitando, remigando, oscillando aliisque ejus generis motibus. — Effectus motionis corporis et contentionis musculorum pro specie, gradu et tempore motionis diversissimi sunt. Circulatio sanguinis et lymphae in vasis musculorum sese contrahentium et ulterius in toto corpore acceleratur. Frequentia pulsus et respirationis crescit, aeque ac temperatura corporis, imprimis partium ejus externarum, simulque cum ea exhalata quantitas acidi carbonici augetur. Quantitate sudoris crescente quantitas urinae et secretio glandulorum salivalium diminuitur. Urina plus substantiae solidae, imprimis ureae continet, secreta tunicarum mucosarum magis consistunt, defaecatio rarescit, propterea quod major aquae attenuantis et liquefacientis quantitas per

glandulas sudorias in superficie corporis sitas et per pulmones emittitur. Jactura aquae sitis, oxydatione in organismo aucta major cibi appetitus efficitur, tum deinde languor sequitur et somnus, qui plerumque altus, diutinus et quietus est. Tali modo repetitae musculorum contentiones non solum nutritionem substantiae muscularis, sed etiam accumulationem ejus ideoque virium muscularium, porro auctam substantiae permutationem in toto corpore efficiunt, quod musculosius fit, quum adeps corporis oxydationem facile iniens decrescit. Non minoris momenti vis est, quae in nervos exseritur. Motio corporis sive ars gymnastica sensibilitatem nervorum muscularium diminuit atque efficit, ut nervi frigore et temperaturae vicissitudine minus afficiantur. Quum contentio animi, aegritudo et aerumna vim muscularem diminuant, contentio musculorum aucta et diutius continuata vividam vim animi diminuit, affectus et cupiditates compescit, instinctum sexus coërcet. Qui effectus compescentes et in aegrotis nervosis, excitatis, serio studio deditis, hypochondricis, melancholicis saepe tam laeti, qui vim suam in animum mentemque exserunt, imprimis tum eveniunt, si cum motione corporis simul finis quidam, ut in venatu, itinere pedestri, gymnastica aliisque talibus rebus, conjunctus est. Tametsi etiam musculorum contentio tantum intra certos fines vim salutarem exserit. Si enim identidem diu continuatur, pulsus et respiratio magis magisque accelerantur, donec postremum regulam excedunt, valetudo mala et exhaustio virium subsequitur et, nisi quiete et nutritione sufficiente vires consumtae reficiuntur, corpus minus minusque contentiones novas perferre potest,

efficacia systematis nervosi in munibus suis exsequendis conficitur atque tota aegroti constitutio turbatur. — Quodsi musculorum motio semper deest, ut in hominibus doctis, scribis similibusque, paulatim debilitas atque adeo atrophia musculorum oritur: corpus eorum languere, cutis pallescere, calor corporis decrescere incipit. Postremo retardatio digestionis exsistit, diminutio appetitus, resorptio diminuta ciborum, qui non satis praeparati sunt, ut sanguine et vasis lymphaticis recipiantur, propterea quod canalis intestinus et prelum abdominale minus minusque se contrahunt. Contractiones cordis, circulatio sanguinis debiliores et tardiores fiunt, vitalis pulmonum capacitas diminuitur, secretiones cutis, pulmonum et omnium organorum glandulosorum decrescunt et permutationi substantiae vel deminutae vel abnormi tum adipis decompositio, tum ortus arthritidis et lithiasis attribuenda est. Neque minus in systemate nervorum turbationes late patentes exsistunt. Etenim quum nervi omnibus rebus vel externis vel internis, temperaturae vicissitudine magis irritentur easque penitius sentiant, inde multae nervorum aegrotationes et mentis turbationes imprimis inter sexum muliebrem superiorum ordinum exsistunt. E quibus omnibus clare patet, quantum momentum motioni corporis tanquam remedio diaetetico tribuendum sit, quod sanis pariter atque aegrotis in multis affectionibus morbosis conducat, et summo emolumento motio corporis in morbis chronicis et naturali ad eos inclinatione, ut in debilitate musculorum, nervositate, hyperaesthesia, hypochondria, melancholia, hysteria, epilepsia, arthritide, indigestione et obstipatione, tumoribus haemorrhoidalibus, plethora, scrophu-

losi aliisque ejusmodi morbis commendanda est. Haud idonea atque adeo perniciosa motio corporis in vitiosa cordis vasorumque magnorum structura, in capitis congestione, apoplexia, haemorrhagiis pulmonum et uteri, in ulceribus, varicibus ceterisque id genus affectionibus habenda est, et per se in omnibus morbis acutis cum febri conjunctis, in morbis columnae vertebralis similibusque interdicitur.

Inter motus activos jam nobis accuratius de itione, cursu, natatione, exercitationibus gymnasticis disserendum est. Atque itio quidem frequentissime et communi omnium emolumento a sanis, aegrotis et convalescentibus adhibetur. In quo conditio viarum, utrum acclives et durae an molles, planae vel non planae sint, tempestas et tempus itionis respicienda sunt. Porro prima infantium eundi experimenta diligentissime regantur, quae, quum infantes rhachitide laborant, prorsus omittenda sunt, donec ossium structura nutritione bona et medicamentis satis firmata sit. Quodsi cum itione certus quidam finis, ut in venatu vel excursionibus doctis, conjungitur, ea minus fatigationis et taedii secum fert. In cursu respirationis et pulsus frequentia, corporis calor, sudor summopere augentur. Quo celerius respiratio repetitur, eo magis superficiosa est i. e. eo minus substantia pulmonum extenditur et cursu celerrimo tantum apices pulmonum dilatantur. Ad thoracem et pulmones perficiendos interdum cursus multum valet idemque, quum soleis ferratis super glaciem fit, omnino juventuti commendandus est. Utilitas ejus rei in multa musculorum exercitatione et permutatione substantiae adjuta constat. Similis saltationis effectus foret, nisi alia

quaedam incommoda, ut vestes angustae, pectus adstrictum, successum impedirent. Natationis autem commoda omnibus aliis corporis motionibus antecellunt. Quippe omnes corporis musculi, imprimis musculi dorsales, lumbales, pectorales, ea impelluntur, quocum praeterea effectus aquae frigidae conjungitur, quae nullam sudoris jacturam admittit. Itaque natatio hominibus debilibus cujusque aetatis et sexus, qui ad scrophulosin, rhachitidem, curvaturas columnae vertebralis non ex ossium morbis prodeuntes, nervorum morbos inclinant, sanandis et corroborandis apta censenda est. — In exercitationibus gymnasticis distinguendum est, utrum totum corpus an singulae ejus partes prae ceteris perficienda et roboranda sint. Inprimis magni momenti istae exercitationes sunt in abdominis affectionibus, sanguinis egestate, chlorosi, scrophulosi, thorace debili et angusto, inclinatione ad tuberculosin pulmonum exsistente, magis etiam in debilitationibus, in aegrotis aetatis puerilis et adolescentis, qui ad curvaturas corporis inclinant, omnino in arte orthopaedica exercenda, veluti ad curvaturas columnae vertebralis sanandas, ut communi corroboratione musculaturae et corporis inclinatio ad curvaturas proveniens prohibeatur et gymnastica idonea, corroboratione musculorum debilium curvaturae jamjam exortae tollantur. Ab exercitationibus gymnasticis gymnastica sanandi Suecica, quae etiam kinesitherapia dicitur, distinguenda est, quae non solum ad musculos voluntati subjectos, sed etiam ad musculos organicos, fascias, ligamenta, tubum intestinalem, cor, sanguinis circulationem, respirationem, resorptionem, substantiarum permutationem aliaque id genus pertinet. Qui ki-

nesitherapiam colunt, certis structurae anatomicae et functionibus physiologicis corporis humani ejusque articulationibus coaptatis motibus aut staturam bene formatam conservari et roborari aut deformitatem quandam exortam refingere student. Qui a simplicibus motibus quasi fundamento ad complicatos transeuntes, certum motuum systema construunt. In quo unicuique motui impedimentum quoddam objicitur, quo major contentio adhibeatur eoque vis musculorum augeatur. Velut ad flexores antibrachii musculorum exercitatione roborandos duplex methodus adhibetur: vel antibrachium flexum tenetur et ab alio extenditur vel antibrachium flectitur et alter illud extendit. Loco manuum humanarum etiam pondera aut apparatus quidam vim oppositam vel impedimentum praebere possunt. Verum in ista arte, sicut plerumque fieri solet, modus justus a medicis, qui eam factitant, non servatus est. Sicut enim certo constat, curvaturas vel contracturas musculorum singulorum debilitate ortas exercitationibus gymnasticis tolli posse, ita vecors habendus est is, qui hac sanandi methodo quemvis morbum, adeo internum, veluti chlorosin, scrophulosin, diarrhoeam, hernias aliosque morbos similes, curari posse censet, id quod revera (vix quis credat) a quibusdam medicis factum est. Quorum tamen errores et somnia nos impedire haud debent, quominus veteris dicti memores omnia probemus et optimum retineamus.

Denique restat, ut de vi disseramus, quam ad morbos sanandos remedia ex animi natura hausta exserant, quorum effectus ex usu quotidiano cognoscimus et quae ex arcto vinculo, quo animus et corpus inter se cohae-

rent, explicantur. Omnia, quae vel extrinsecus vel intrinsecus corpus afficiunt, simul etiam animum afficiunt et vice versa, nec propter intimam, quae inter vim et substantiam, inter animum et corpus intercedit, societatem ullum discrimen mutationum exstat, quas remedia nocentia vel sanantia in corpore vel animo efficiunt. Animi habitu, voluntate, phantasia, fiducia effectus remediorum vel juvari vel impediri vel adeo tolli potest. Itaque fiducia vulgo ita dicta, quam aegroti in medico ponunt, sane res in facto posita est, cujus ratio clare patet, et praecipuus effectus pillularum illarum homoeopathicarum aeque ac sanationes, qui magnetibus, reliquiis et amulettis efficiuntur, in fiducia bona et phantasia aegrotorum atque in reactione constat, quam animus in corpus exserit. Abusu substantiarum narcoticarum, potuum spirituosorum, aegritudine et miseria corpus et animus afficiuntur, quum contra animus et corpus sereno, laeto animi habitu proficiunt atque adeo digestio, respiratio, substantiae mutatio, secretio, nutritio melius procedant. Constat, laesiones corporis animo simul depresso difficilius sanescere, unde etiam fortasse explicandum est, quod vulnera copiarum victarum pejus, quam vulnera victorum sanescunt et mortalitas victorum minor est. E quibus omnibus patet, quantum vim animi habitus et status ad aegrotos sanandos habeat, atque medico multiplice eruditione et scientia aeque ac vitae morumque cognitione opus est, siquidem his ipsis rebus salutarem aliorum remediorum vim et effectum juvare velit.

Duplici ratione vis in animum aegroti exseritur, primum ope organorum sensualium, quae rebus externis

percipiendis exponuntur, deinde rebus intellectualibus et moralibus.

Res sensuales, quae centralibus nervorum systematis partibus sensuum organis suggeruntur, tanquam remedia sanandi imprimis propterea magni momenti sunt, quod iis vis tum tranquillans et sedans, tum excitans et vegetans in corpus aeque atque animum exseri potest, quapropter fere totam sanandi methodorum et remediorum scalam exhibent et repraesentant. — Animum sedant atque adeo in somnum transferunt omnia, quae sensus nostros eodem modo tangunt, ut tenebrae, silentium, prohibitio sensuum injucundorum, doloris, strepitus aliarumque ejusmodi rerum. Quod remedium quotidie in excitatione, nervositate, insomnia, febri similibusque adhibetur. Unde etiam effectus magnetismi animalis, qui vulgo mesmerismus dicitur, nec non hypnotismi explicandi sunt. Quippe dubitari nequit, quin digiti viriles, si mulieres leviter vel fortiter tangunt et permulcent, saepe ipse adspectus sensibilitate et reflexione cerebri et medullae aucta, denique vis, quam animus viri in debiles, nervosas, superstitiosas exserit, effectum vel sedantem et sopientem vel excitantem et impellentem habere possunt, quibus rebus mesmerismus continetur. Neque magis dubium est, quin intuitus diuturnior et vultus in re quadam fixus praesertim in sensibiles et nervosas vim sedantem atque adeo sopientem exserant, in quo hypnotismus ille constat. Quodsi infantes in cunis agitantur, id quoque remedium hypnoticum est. Etiam soni vel strepitus identidem repetiti, ut murmuratio fontis, eundem effectum praebent eumque in modum adhiberi possunt. At vero omnes res sensuales

vehementiores modumque suetum excedentes, ut strepitus vehementes, limatio, frictio aliaque, symphonia alacris, alioquin ad sanandos mentis inopes bene adhibita, porro lux fulgida, colores clari, odores et gustus fortes vim excitantem exserunt. Notum quoque est, quem effectum excitamenta fortia in animi deliquio, debilitate, spasmo praebeant. Denique huc variae sensus et tactus affectiones, ut frictiones siccae, detritio (Bürsten), verberatio in apathia, collapsu, somnolentia, narcositate adhibendae, pertinent.

Quodsi jam res externae ad animum aegrotum corpusque cum eo aegrotans sanandum multum conferunt, id magis etiam curatione ipsius animi et cordis efficitur. Quam curationem ut bene calleat et prudenter exerceat, prae ceteris in medico perito requiritur et fortasse summa ejus laus est. In quo medicum animum humanum ejusque errores penitus cognoscere oportet, quam cognitionem non, sicut symptomata morbi cujusdam, memoriae mandare neque e libris haurire, et quamquam studiis seriis philosophicis adjuvare, tamen semper demum diuturno aliorum commercio sibi conciliare potest. Quae cognitio si medico deest, neutiquam remedia reperire potest, quibus animus errans occulte et improviso sanatur. Quodsi omnis morbus medici adversarius est, is morbus, cujus causa corpore continetur, certe adversarius est, cui in aperto campo gladio stricto occurrere possumus, is autem morbus, cujus causa in animo latet, ense condito et omnibus doli artibus impugnandus est. Itaque haud raro accidit, ut finis remedia, quae medicus adhibenda censet, comprobet vel sanctificet, quamquam ea nulli alii detrimento esse de-

bent. In quo sufficit commemorasse, saepe medicum, ut fiduciam aegroti sibi comparet, absonis et prorsus noxiis ejus inclinationibus et optatis quoad verba obtemperare atque adeo assentiri, quum revera remedia contraria praescribat. Nam fiducia medicus fidem et spem, fide et spe patientiam excitat atque tali modo animum turbatum sedat et contra remedium ad corpus sanandum adhibitum efficax reddit. Tali modo jam saepe usu venit, ut homines artis medicae ignari, sed prudentes et sollertes morbos sanarent, quos medicus imperitus et imprudens sanare non potuit, et secundi homoeopathiae et sympathiae eventus non melius stultitia et credulitate aegrotorum, quam diffidentia medicorum, quam saepe ipsi imprudentia sua meruerunt, explicantur.

Jam quaeritur, quibusnam remediis morbosae animi affectiones impugnari possint, ita ut affectio simul tollatur aut certe effectus remediorum praeparetur. Remedia certa et regulae accurate terminatae afferri non possunt, quippe numerus eorum tantus esset, quantus numerus ingens causarum, ex quibus animi aegrotationes oriuntur, et quanta diversitas hominum quoad eorum indolem, ingenium et mores est. Fiducia aegroti primum sibi comparata medicus hic solatium praebebit vel spem excitabit, periculum verbis elevans, ut tali modo animum aegroti tranquillet: illic etiamsi periculum non exaggerabit, tamen vultu serio ad praecepta ejus observanda hortabitur, imprimis si, sicut in hystericis et hypochondricis, de eo agitur, ut voluntas eorum firmetur et sibimet ipsi imperare discant. Etenim firmitatem voluntatis et imperium sui saepe remedia effica-

cissima esse et interdum tantummodo verbis duris et minis effici posse, exemplum Boerhavii summi demonstrat, qui plures puellas imitando epilepsia affectas unice eo sanavit, ut minuaretur, se eas ferro candente, quod manu tenebat, usturum esse, si rursus humi conciderent. Praeter lenitatem aut severitatem deinde medico omnis opera impendenda est, ut causa animi turbati tollatur. Quam indagare plerumque minus difficile est, quam eam tollere, quum id saepenumero tantum mutatione loci, relictione propinquorum, intermissione muneris et negotii fieri possit. Quo animus etiam a causa morbi deflectatur, ne ei semper ob oculos versetur, idonea occupatione durante opus est, potissimum labore et contentione corporis, quae et propter utilitatem animo voluptatem praebet et propter defatigationem somnum et quietem efficit. Anceps autem atque adversus persaepe eventus est, si medicus argumentando, vituperando, docendo aegrotum, nominatim hypochondricos et hystericas, errorum et somniorum eorum convincere velit. Putant enim tunc, medicum morbum ipsorum haud noscere, omnino nihil scire, nihil se curare vel adeo male contra se affectum esse, unde medico diffidunt et morem ei non gerunt, quo malum ipsorum augetur.

VITA.

Natus sum Arminius Bertholdus Rudolphus Martini Liebavii, oppido in Silesia provincia sito, die III. mensis Julii anni MDCCCXLIX. patre Friderico, quem morte praematura mihi ereptum lugeo, matre Antonia, e gente Reich. Fidei addictus sum catholicae.

Primis litterarum elementis imbutus, in gymnasium catholicum Vratislaviense me contuli, quod per quinque annos frequentavi. Deinde Berolini institutum privatum per tres annos adii. Quo relicto aliquot annos oeconomiae discendae et exercendae causa ruri degi, sed postea consilio mutato ad militiam transii locumque altiorem in exercitu obtinui. Quum autem pater mortuus esset, militiam rursus reliqui, ut praedium a patre relictum administrarem. Quo propter hereditatem ordinandam vendito postremum medicinae studere mecum constitui. Igitur ubi examine abiturientium in gymnasio Fridericiano, quod Clar. Krech directore Berolini floret, superato testimonium maturitatis academicae nactus eram, in almam litterarum universitatem Friderico-Guilelmam Berolinensem me contuli.

Jam per octo semestria, quibus medicinae operam dedi, hosce viros celeberrimos, illustrissimos, experientissimos disserentes audivi: du Bois-Reymond, Frerichs, Juengken, Kristeller, de Langenbeck, Lieberkuehn, Magnus, Mankopf, Martin, Meyer, Michelet, A. Mitscherlich, Mitscherlich, Ravoth, Reichert, Schultz-Schultzenstein, Traube, Virchow, Wagner, Werder.

Quibus viris omnibus de me optime meritis gratias hoc loco ago semperque habebo quam maximas.

Tentaminibus denique et physico et medico nec non examine rigoroso superatis, thesibusque die XXVIII. mensis Julii palam defensis, propter bellica tempora, ex jussu Ministerii regii, jam summi in medicina et chirurgia honores in me collati sunt, ea quidem conditione, ut postea dissertationem ederem, cui promisso nunc grato animo satisfeci.